AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE XVII. MENSIS IVNII A. MDCCCCXIV

HORA XII

HVIVS ACADEMIAE CIVES
ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR ET SENATVS

QVAESTIONES RHETORICAE

SCRIPSIT

PAVLVS WENDLAND.

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
WILH. FR. KAESTNER.

Cum ad commentationem academicam scribendam accedo, animi dolorem renovat acerba mortui FRIDERICI LEONIS recordatio, qui et Rostochii et Gottingae per aliquot annos hoc munus praeclare gessit et hunc morem paene obsoletum et in plerisque academiis abolitum eleganter continuabat, saepe quae viva voce docuerat vel quae cum philologiae studiosis disputando tractaverat persequens et accuratiore lima expoliens. libenter memini primi colloquii Gottingae cum Leone habiti, quo enarrans rationes praecipiendi et instituta, quae auctoribus principibus philologis Gottingae adulescentibus excolendis inserviunt, felicissimam mihi societatem munerum augurabatur, eheu iam maturius dissolutam. at consolatur nos beatitudinis imago quam Leonis vita et mors vita digna repraesentat, et nova spes nobis illuxit Ricardum Reitzenstein successorem nactis. vetera autem instituta non modo virorum insignium auctoritate, sed etiam nostro iudicio comprobata tenebimus. servabimus consuetudinem in seminario latine et loquendi et scribendi, hac una via posse linguam peregrinam in sucum et sanguinem transire arbitrati. et quomodo licet ab eis qui publica examina sustentant ut latine commententur poscere, nisi eis viam praeeamus? tenebimus morem dissertationis philologae latine scribendae etiam intra Borussiae fines iam deseri coeptum. an servaturi simus hoc latinarum commentationum institutum, quod scimus ea aetate plus frugis tulisse, qua omnes commilitones aliquatenus philologas scholas adibant, dubium est. quae autem hac dissertatione academica fortasse postrema tractabo, orta sunt ex exercitationibus seminarii, quibus proxima hieme rhetoricam artem ad Herennium datam commentati sumus.

Auctor qui ad Herennium scribit, cum ineunte quarto libro ad elocutionem tractandam transit, ab ipsa re digrediens de recta exemplorum ratione disserit. apta autem hac occasione in excursu

de diversis exemplorum rationibus disserendi utitur, cum in hac potissimum artis parte permulta exempla ponere necesse habeat. tamen veri simile esse videtur totam hanc commentationem acutissimam et lectu dignissimam olim non ad solam elocutionem, sed ad totam artem pertinuisse. hanc de exemplis dissertationem utrum adulescens vel, ut rectius dicam, doctor ille, cuius scholas adulescens Marxio auctore memoriae mandavit, ex eodem fonte unde cetera an aliunde hauserit, dubitari potest. nam quod excusat hanc digressionem [1]) et ab ipsa arte distinguit, hoc haud scio an cum aliqua verisimilitudinis specie ita interpretari liceat ut dicamus eum hanc commentationem, in qua graeci rhetoris ingenium agnosci infra videbimus, aliunde depromptam ipsi arti inseruisse. haec autem in utramque partem disputatio paribus quasi momentis suspensa, ita disposita est, ut argumentis eorum qui ab auctoribus probatis censent exempla sumenda esse opponatur victrix eorum ratio qui postulant, ut artis scriptor vel doctor ipse sua exempla fingat. iam antequam totam hanc disputationem interpretemur et ad graecum auctorem referamus, investigandum esse videtur, utra exemplorum ratio inde ab initiis artis rhetoricae apud Graecos valuerit. qua in re cavendum est ne in errorem inducamur ab auctore qui § 1 *praeter consuetudinem Graecorum* suis se exemplis uti gloriatur et § 4 contrariam illam quam ipse impugnat rationem extrinsecus exempla repetendi auctoritate eorum niti censet, *qui et inventores huius artificii fuerint et vetustate iam satis omnibus probati,* in fine totius disputationis § 10 eam Graecis tribuit.

Immo haec de Graecis testimonia nisi in tempora Aristotele posteriora non cadunt, antiquiores autem rhetores ea ipsa ratione utebantur, quam quasi a se novatam a vetustate alienam esse praedicat rhetor latinus [2]). constat enim Coracem exempla finxisse, quibus argumentandi rationem discipulis ostenderet [3]), Gorgiam communes locos composuisse [4]). et habemus Antiphontis tres tetra-

1) Verbis *in superioribus libris nihil neque ante rem neque praeter rem locuti sumus* excursus notionem describit. qua in circumscriptione graecum exemplar sequitur, v. Anonymum Seguerianum (Graeveni Cornutum) § 58. 59 προδιήγησις μέν ἐστιν, ὅταν πρὸ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἔξωθεν ἕτερόν τι διηγησώμεθα . . . . παραδιήγησις δὲ ὅταν παρ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ἕτερα διηγησώμεθα. — aliter Cic. De or. II 307 *ut aliquid ante rem dicamus* prooemium his verbis significans. item ab arte Herenniana aliena est distinctio illa argumentorum ante rem, in re, post rem, cuius exempla collegit Striller, Bresl. philol. Abh. I 2 p. 45. alii enim in eadem re termini leguntur ad Her. II § 8.

2) Spengel, Συναγωγή p. 19.

3) v. Anaximenem meum p. 31 ss.

4) Cic. Brutus 46. 47 cf. Arist. Soph. el. 32 p. 183 b 38 ss.; Gercke Hermes XXXII 344 ss.

logias, exempla ficta iudicialium orationum, novimus prooemiorum et epilogorum collectiones. tales autem oratiunculas, locos communes, exempla antiquissimi rhetores ediscenda vel imitanda discipulis tradebant [1]). et consentaneum erat antiquissimos rhetores de suo promere exempla; unde enim sumerent Corax, Tisias, Antipho, cum libri pedestri oratione ex artis praeceptis conscripti nulli tum praesto essent? idem autem mos propria exempla usurpandi valebat etiam IV saeculo: Isocrates in oratione illa, quae scholae Athenis instituendae inservit (XIII 12. 13), morem illum civilis eloquentiae doctorum discipulis exempla (παραδείγματα) ediscenda proponendi improbat. ex ipsius autem in Panathenaico (§ 200 ss.) narratione discimus eum recentem orationem, priusquam ederet, discipulis nonnullis proposuisse, ut eorum iudicium examinaret, de argumento et de forma cum eis disputasse, nonnulla addidisse et emendasse, emendatam tandem orationem emisisse. priscam autem illam rationem, qua usi rhetores omnia exempla ipsi fingunt, optime cognoscimus ex rhetorica arte illa, quam Anaximenis esse verisimile est, non multo post a. 340 editam esse ex exemplis, quorum nullum ad res post a. 341/40 gestas pertinet, constat. cuius artis auctor non dubium est, quin multa exempla e vetustioribus artibus repetiverit, multa quae vel legerat in orationibus editis vel audierat in contionibus Atheniensium vel tum vulgo disserebantur de re publica, in suum usum converterit; at haec omnia ita suo consilio accommodat et immutat, ut nomina auctorum numquam commemoret [2]), in medio posita sua reddat, ipse omnia invenisse videatur. ac suo iure Spengelius contendit haud leve vetustatis huius artis argumentum esse, quod exempla non a claris scriptoribus repetuntur.

Contrariam viam primus ingressus est Aristoteles. tota enim rhetorica eius disciplina non id spectat, ut in dicendi exercitatione opera consumatur et ut rhetores instituantur, sed ut philosopha ratione quid sit eloquentia et quibus persuadendi adminiculis utatur, quid efficiat in eorum qui audiunt animis perspiciatur. quod ut appareret, artium, quae ante eum editae erant, historiam persecutus est. iam ut in rhetorica disciplina exemplis alienis clarorum

---

1) Plato, Menexenus 235 D εἰσὶν ἑκάστοις τούτων λόγοι παρεσκευασμένοι. — non multum operae impendisse hos sophistas elocutionis praeceptis recte monet Stroux, De Theophrasti virtutibus loquendi, Lipsiae 1912, p. 29.

2) unus locus c. 18 (p. 55, 10 H κέχρηται δὲ καὶ Εὐριπίδης ἐν Φιλοκτήτῃ τεχνικῶς τούτῳ τῷ εἴδει διὰ τοῦδε) excipiendus est, quo quattuor versus Euripideos profert (fr. 797 Nauck), προκαταλήψεως exemplum.

scriptorum uteretur, variis rationibus motus est. primum in ethicis et politicis disputationibus, quarum haud parvam partem repetit in rhetoricis, solebat usurpare poetarum locos, proverbia, dicta pervolgata, ut communes hominum notitias complecteretur et ab usitatis perceptisque opinionibus proficisceretur. accedebat quod, ut erat deditus studiis ad historiam omnium litterarum pertinentibus, et variorum poeseos generum notionem et elocutionis poeticae artificia ex ipsis poetarum operibus repetebat et eloquendi quae essent genera ex peritorum eius artis operibus cognoscendum esse censebat; usurpavit etiam nonnulla quae tum Athenis pronuntiabantur et vulgo ferebantur oratorum dicta libris non tradita. — exempla usui eloquentiae aptissima fingere et tradere eius erat, qui trita via forensi eloquentia imbueret adulescentes, nec quidquam intererat curare quae origo esset exemplarium. exemplorum immensam copiam ex omni genere litterarum delibare eius erat, qui e plena litterarum historia incunabula atque exordia, incrementa et progressus persecutus omnes artis species penitus indagaret, minime eis contentus, quae vitae publicae adhiberi possent. quae cum ita sint, non per iacturam tot librorum antiquorum factum est, ut Aristoteles primus videretur aliena exempla propriis praetulisse, sed revera princeps novam colligendi, non fingendi exempla viam et ingressus est et aliis aperuit.

Hanc autem rationem hellenistica aetate pervolgatam ac sollemnem fuisse inde concluserim quod auctor ad Herennium eam solam apud Graecos valuisse audacius quam verius contendit. et haec est ratio Demetrii qui fertur Περὶ ἑρμηνείας libri, quem peripateticam doctrinam memoriae mandare certum est, Anonymi Segueriani, auctoris Περὶ ὕψους, Ciceronis et Dionysii, qui praeter oratores antiquos etiam epideicticos velut Gorgiam, historicos, philosophos complectuntur [1]) et poetas in comparationem vocant. tantum igitur valuit Aristotelis rhetoricorum vel Peripateticae doctrinae auctoritas, ut critica illa et historica summi philosophi ratio ne a rhetoribus quidem neglegeretur aut sperneretur.

Iam ad digressionem illam interpretandam transeamus. totum autem hoc prooemium secundum scholae regulas accuratissime dispositum est. enumerantur primum tria argumenta adversariorum qui a probatis auctoribus sumi volunt exempla (§ 1—3 I a b c); tum haec ita redarguuntur, ut sententiae unicuique contraria opponatur (§ 4—7 med. II a b c); denique propria sua argumenta bipartito distribuit (§ 7 med. 8 et § 9. 10). eadem ratione apud

1) v. Wilamowitz, Gött. Abh. N. F. IV 3 p. 66.

Anonymum Seguerianum § 30—35 Alexander Numenii utitur in refutandis singulis argumentis eorum qui docent numquam omitti licere prooemium. quam rationem sic describit anonymus πρὸς ἕκαστον τῶν εἰρημένων ἀπαντῶν[1]) πρῶτον μὲν ἐκεῖνο μέμφεται . . ., porro ex ordine singula argumenta refelluntur. similis eiusdem Alexandri de omittenda interdum narratione argumentatio invenitur § 116—123, et novimus hunc morem adversariorum argumenta accurate referendi et deinceps refutandi e Philodemi scriptis.

I a II a. Primum adversarii adrogantiae esse dicunt sua ponere exempla, modestiae aliena sumere velut Ennii et Gracci; qua re caveri, ne nos solos probare et amare (cf. Horatii A. P. 444) videamur. acerbe § 4 quam inepta sit haec ratio comparatione ostenditur: *quasi si quis Olympia cum venerit cursum et steterit ut mittatur, impudentis dicat esse illos qui currere coeperint, ipse intra carcerem stet et narret aliis quomodo Ladas aut + boviscum sisonius* (*Boiscus Isthmiis* Marx, alii alia) *cursitarint, sic isti, cum in artis curriculum descenderunt, illos qui in eo quod est artificii elaborent, aiunt facere immodeste, ipsi aliquem antiquum oratorem aut poetam laudant aut scripturam, in stadium rhetoricae prodire non audent.* finxit auctor historiunculam suam ad suum finem mutando spectans ad exemplar fabulae illius Aesopeae (203 b 203), qua narratur quidam (203 b πένταθλος) domum reversus gloriari quantum saltu Rhodi ceteris praestiterit (ὡς μηδένα τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἐφικέσθαι 203 b) et hoc testari posse Rhodios praedicat. respondetur: hic Rhodus, hic salta[2]). et quod fabula Aesopea docere vult ὅτι, ἐὰν μὴ πρόχειρος ἡ τοῦ πράγματος ἀπόδειξις ᾖ, πᾶς λόγος περιττός ἐστιν, concinit cum opprobrio, quod comparationi adnectit auctor: *gignis novas nobis praeceptiones; eas ipsas confirmare non potes.*

Haec graecae fabulae imitatio graecum auctorem redolet, quod Olympiis et graecis athletarum nominibus confirmatur. additur autem protinus alius fabulae memoria, cum pergit auctor: „. . . *vide ne facias impudenter, qui tuo nominei velis ex aliorum laboribus libare laudem*“. *nam si eorum volumina prenderint antiqui oratores et poetae et suum quisque de libris suis* (= *eorum*) *tulerit, nihil istis quod suum velint relinquatur.* iam lege Horatium Epist. I, 3, 15:

quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus
privatas ut quaerat opes et tangere vitet
scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo,

1) cf. Theo. p. 60, 11. 12 Sp. πρὸς ἕκαστον τῶν εἰρημένων . . . . πειρώμεθα ἀπαντᾶν.

2) quae sit origo huius dicti latini, ne Büchmannus quidem scit (v. ed. 25. p. 332).

ne, si forte suas repetitum venerit olim
grex avium plumas, moveat cornicula risum
furtivis nudata coloribus.

et rhetor et poeta secuti sunt exemplar simile fabulae Babrianae 72, ad quam Crusius vetustiora testimonia adnotat; e quibus Philodemus Rhet. II p. 67. 68 Sudhaus confirmat hanc fabulam iam a Graecis auctoribus adhibitam esse litteratis hominibus, furti coargutis [1]). deest apud Crusium Lucianus, Pseudologista 5 ἐτύγχανε δὲ ὁ λόγος αὐτῷ κατὰ τὸν Αἰσώπου κολοιὸν συμφορητὸς ὢν ἐκ ποικίλων ἀλλοτρίων πτερῶν. - duarum igitur fabularum ab auctore adhibitarum unam iam ante eius aetatem in rhetorum usu fuisse constat, in alteram idem cadere probabile est [2]).

I b II b adversarii exempla testimoniorum locum obtinere dicunt; testimonia autem a probatissimis hominibus sumi (cf. II 9 Theo p. 110, 25 Sp. δεῖ δὲ λαμβάνειν καὶ τὰς κρίσεις τῶν ἐνδόξων) nec licere in lite aut iudicio domesticis [3]) testimoniis niti. itaque rhetores qui sua exempla alienis praeferunt peccant. qua in re aut se omnibus anteponunt aut negant optima exempla in probatissimis auctoribus inveniri; quod si faciunt, non possunt dicere quare sibi illos anteponant [4]). accedit quod auctoritas antiquorum aliquid valet ad rem probandam et ad imitandi studium excitandum. — § 5 med. primum sophistica illa exemplorum cum testimoniis exaequatio egregie refellitur: *hoc interest igitur inter testimonium et exemplum: exemplo demonstratur* [5]) *id quod dicimus cuiusmodi sit; testimonio esse illud ita ut nos dicimus confirmatur.* additur aliud argumentum, quod non sine argutiis adnectitur ita, ut testimonia ista cum re

---

1) Critolai et rhetorum litem hoc loco describi suspicatur Sudhaus, Philodemi Suppl., Lipsiae 1895 p. XXXVI s.

2) fabulae exercitationis causa tractabantur in scholis; cf. Reichel, Quaestiones progymnasmaticae, Lipsiae 1909 p. 48 ss.

3) contra οἰκεῖα παραδείγματα commendantur a rhetoribus; v. Anaximenis Rhet. p. 74, 17 H., exempla quae collegi Nachr. Gött. Ges. 1910 p. 315 adn. 5, Cic. Oratorem 132 *uterer exemplis domesticis.*

4) hoc ad ea quae infra exponam aliquid valet, probatos auctores vulgo tum agnosci nec dubitari de eorum auctoritate.

5) cf. Anax. p. 40, 1 H. φανερὸν ποιῆσαι Arist. 1357 b. 29 ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, γνωριμώτερον δὲ θάτερον ᾖ θατέρου, παράδειγμά ἐστιν. — nolo autem, ne audacior videar, exemplorum et testimoniorum illam exaequationem ab Aristotele repetere, qui ipse quoque p. 1394 a. 10 ss. exempla et testimonia comparat: δεῖ δὲ χρῆσθαι τοῖς παραδείγμασι οὐκ ἔχοντα μὲν ἐνθυμήματα ὡς ἀποδείξεσιν . . ., ἔχοντα δὲ ὡς μαρτυρίοις, ἐπιλόγῳ χρώμενον ἐπὶ (hoc ἐπὶ cum correctore A addo; neque enim probo, quod Cope dativum τοῖς ἐνθυμήμασιν suspendit a voce ἐπιλόγῳ) τοῖς ἐνθυμήμασιν· προτιθέμενα μὲν γὰρ ἔοικεν ἐπαγωγῇ . . ., ἐπιλεγόμενα δὲ μαρτυρίοις.

non satis convenire dicantur, cum oporteat testimonia cum re concinere: *pollicentur artem scribere, exempla proferunt ab iis plerumque qui artem nescierunt. tum quis est qui possit id, quod de arte scripserit, comprobare nisi aliquid scribat ex arte*[1]). *contraque faciunt quam polliceri videntur* . . . illudit igitur adversarios, quasi ideo aliena foris adsumant exempla, quia facultate eloquendi ipsi careant. patet peti umbratiles doctores, qui praecepta eloquentiae tradant, nullum ipsi eloquentiae documentum gignere sciant, et ne nomen quidem eius qui hic petitur latet. Hermagoram enim vexari iam Marxius p. 113 ostendit comparato Cicerone, qui Rhet. I 8 vituperans Hermagoram, quod philosophas quaestiones (θέσεις) oratoris officio tribuat: *Nam Hermagoras quidem*, ait, *nec quid dicat attendere nec quid polliceatur intellegere videtur . . . . verum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit, multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse omnes videmus*[2]). haec Ciceronis verba recte monet Marxius Graeci scriptoris esse illius, quem Ciceronis magister secutus erat. quodsi apud auctorem ad Herennium simili opprobrio idem Hermagoras petitur, ad alterum saeculum a. Chr. n. lis illa, qua de recta ratione exemplorum certatur, referenda est. quo in certamine Hermagorei antiquorum, a quibus depromerent exempla, auctoritatem defendisse videntur. nam quam describit auctor rixam, ea revera est Graecorum cum Graecis pugnantium. auctor autem sua adrogantia et Graecorum odio (Marx p. 115) motus rem suo arbitrio usus ita sibi fingit, quasi ipse, rhetor latinus, propria exempla ut ponantur praecipiens pugnet cum Graecis aliena adsumentibus.

I c II c. restat tertium argumentum et eius refutatio: adversarii rationem alienis exemplis utendi et ex copia tanta litterarum selecta ad suam quidque speciem redigendi[3]) summi artificii esse censent. volgus enim ita probat orationes aut poemata, ut nesciant qua ratione commoti probent. at qui *haec omnia intellegit*[4]) *et*

---

1) similiter § 7 *de arte* et *ex arte* opponuntur.

2) comparari potest Cic. De or. II 10 76 I 91.

3) Platonis Phaedri p. 265 D εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα in memoria tenuisse videtur graecus auctor, a quo latinus pendet.

4) Cicero intellegentes vel doctos vocat homines litteratos recte κρίσιν exercentes: De opt. gen. 1 Brutus 183 *semperne in oratore probando aut improbando volgi iudicium cum intellegentium iudicio congruit?* 190 *volgi opinione . . . . intellegentium iudicio* 199 *praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, cum oratores duo aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit intellegit; nam illud quod populo non probatur, ne intellegenti quidem auditori probari potest* 200 *intellegens dicendi existumator* 320 *existumator doctus et in-*

idonea maxime eligit et ad singula praecepta refert, is necesse est rei summus artifex sit. — Contra disputat auctor illud eligendi exempla negotium laboriosum quidem esse, sed minus artificiosum quam adversarii censent. *quisquis enim audivit de arte paulo plus in elocutione praesertim, omnia videre poterit quae ex arte dicentur, facere nemo poterit nisi eruditus . . . . quodsi artificiosum est intellegere quae sint ex arte scripta, multo est artificiosius ipsum scribere ex arte.* similiter a Cicerone De opt. gen. § 11 existimatores intellegentes et artifices opponuntur: *sed qui dici a nobis attico more nolunt, ipsi autem se non oratores esse profitentur, si teretes aures habent intellegensque iudicium, tamquam ad picturam probandam adhibentur etiam inscii faciendi cum aliqua sollertia iudicandi* (cf. De or. III 83). quod pergit auctor *qui enim scribit artificiose, ab aliis commode scripta facile intellegere poterit; qui eliget facile, non continuo commode ipse scribet*, ut videas quam concinne graeco more contraria contrariis opponantur, Alcidamantis locum forma, non argumento similem confero, De soph. § 6 ἔπειτα τοῖς μὲν λέγειν δεινοῖς οὐδεὶς ἂν φρονῶν ἀπιστήσειεν ὡς οὐ μικρὸν τὴν τῆς ψυχῆς ἕξιν μεταρρυθμίσαντες ἐπιεικῶς λογογραφήσουσι, τοῖς δὲ γράφειν ἠσκημένοις οὐδεὶς ἂν πιστεύσειειν ὡς ἀπὸ τῆς αὐτῆς δυνάμεως καὶ λέγειν οἷοί τ' ἔσονται. τοὺς μὲν γὰρ τὰ χαλεπὰ τῶν ἔργων ἐπιτελοῦντας εἰκός, ὅταν ἐπὶ τὰ ῥᾴω τὴν γνώμην μεταστήσωσιν, εὐπόρως μεταχειρίσασθαι τὴν τῶν πραγμάτων ἀπεργασίαν· τοῖς δὲ τὰ ῥᾴδια γεγυμνασμένοις ἀντίτυπος καὶ προσάντης ἡ τῶν χαλεπωτέρων ἐπιμέλεια καθίσταται (sim. § 8, prisco enim more Alcidamas eadem sententia in initio et in fine repetita partem orationis circumscribit et quasi concludit).

Additur, etiamsi concedatur artificii esse eligere exempla, tamen a rhetore postulari potius, ut comprobet se ex arte scribere posse. *postremo in eo vim artificii consumant, ut ipsi ab aliis potius eligendi*[1] *quam aliorum boni selectores existimentur.* agnoscimus rhetorem antiquorum auctoritatem detrectantem, ut ipse palmam ferat, cum eis certantem.

III Iam refutatis adversariorum argumentis, ad suas rationes explicandas transit et hoc magis in eligendo vituperandum esse dicit, quod a multis, non ab uno sumantur exempla. nam si ab uno omnia exempla peterentur, facilius discipuli crederent unum omnes virtutes assequi posse et hac opinione ad alacrius studium

---

tellegens. Cf. quae Jahn-Kroll ad § 183 collegerunt et Dionysii Hal. De Thuc. c. 4 artificis et intellegentis iudicis discrimen.

1) hoc minus logice; non ipsi homines eliguntur, sed ex operibus eorum exempla.

excitarentur. nunc adlatis exemplis a multis oratoribus, etiam a poetis et historiarum scriptoribus necesse est discipuli putent neminem omnes eloquentiae virtutes complecti posse; quo fit ut desperent et paucis virtutibus ipsi contenti sint. et artis scriptores, quoniam neque sua exempla proferunt neque unius aut duorum, ipsi quoque iudicare videntur in uno paucas virtutes inveniri.

Primum animadvertendum est constare hic exempla imitanda proponi et de hoc imitandi studio adversarii quoque auctoris loquuntur § 2: *ipsa auctoritas antiquorum non . . . . hominum studia ad imitandum alacriora reddit?* atque hoc imitandi studium antiquius atticistis, quos quidem nos noverimus, esse confirmatur l. I 3: *imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione ut aliquorum similes in dicendo valeamus esse.* de ratione autem imitandi etiam posteriore aetate similiter certatum est atque auctor testatur [1]). erant qui auctorum imitandorum numerum cohibentes unum auctorem veterem imitandum sibi proponerent velut Atticistae Lysiam aut Thucydidem, cum Cicero Demosthenem solum praeferat (Orator 6 De opt. gen. 1 ss. De oratore II 90). alii ex multorum non modo oratorum sed etiam aliorum scriptorum libris exempla ad imitandum commendabant. cui copiae ac varietati exemplorum praeter illud argumentum in arte Herenniana adlatum argumenta validiora potuisse opponi, Ciceronis (Orator 62 ss. cf. Dion. De imit. 2, 9 p. 205, 22 Us.-Rad. ἐπειδὴ μὴ προσήκει πᾶσι τοῖς ποιηταῖς ἐντυγχάνειν) et Quintiliani (X 1, 27 s. 31. 35. 59. 2, 21) iudicia ostendunt [2]). et quam pravas imitandi rationes ex Atticistis nonnulli posteriore aetate sectati sint, notum est. neque fugisse videtur quantam difficultatem habeat illa exemplorum varietas eum, qui ad Her. IV 6 scribit: *pollicentur artem scribere, exempla proferunt ab iis plerumque qui artem nescierunt.* hae difficultates et de recta imitandi ratione lites unde ortae sint ut recte intellegamus, quaerendum videtur esse qui factum sit, ut tanta auctorum copia imitatione exprimenda commendaretur et ut etiam poetae in censum venirent. nam auctor saepius oratores et poetas ita coniungit, ut videamus poetarum exempla minime neglecta esse, et § 7, ubi postulat, ut unus omnia exempla suppeditet, unum seligendum esse dicit *vel poetam vel oratorem.* haec autem ratio multorum et valde diversorum scriptorum exempla proferendi ex Peripatetica disciplina orta esse videtur (v. p. 6). Peripateticos enim, cum omne stili genus, omnes

---

1) cf. Stroux p. 89 ss.; P. Otto, Quaestiones selectae ad libellum qui est Περὶ ὕψους pertinentes, diss. Kiloniensis 1906 p. 15 s.

2) cf. P. Otto l. c. p. 34.

et poetici et pedestris sermonis formas et species cognoscere, characteres aestimare vellent, ea quoque, quae postea grammaticorum provinciae tribuebantur, complecterentur, consentaneum erat ex omni litterarum genere exempla colligere. iam ex quo rhetores omnia eloquentiae studia in imitatione posuerunt, fieri non poterat quin difficultatibus premerentur, cum Peripateticam illam materiem immensam et varietatem exemplorum, quae iudicio de stilo ferendo inserviebat, ad institutionem oratoriam et ad imitandi praecepta conferebant[1]). atque cum ne antiquorum quidem iudicium difficultates illae fugerent, exarsit certamen illud de recta imitandi ratione, cuius vestigia in hoc auctore agnovimus.

Aliud argumentum corollarii loco addit, ut consuetudinem a multis exempla sumendi redarguat. nam qui hac varietate exemplorum quasi profiteatur neminem ad artis perfectionem et absolutionem pervenire posse, is eorum rationi opitulatur, *qui omnino non probant artem.* medio saeculo altero scimus acerrimum inter philosophos et rhetores certamen exarsisse, Academicorum principem Carneadem, Peripateticum Critolaum, e Stoicis Diogenem Babylonium impugnasse rhetoricam et per alteram huius saeculi partem assidue quaestionem illam agitatam esse, εἰ τέχνη ἡ ῥητορική. itaque is, qui rhetores non omnia exempla ab uno auctore mutuantes arguit argumenta suppeditare artis rhetoricae adversariis, altero saeculo scripsisse videtur.

III b. Quoniam, si exempla extrinsecus sumenda essent, ab uno ea petenda fuisse demonstratum est, ostendit auctor omnino aliunde ea adsumenda non esse. comparat magistros aliena exempla proferentes cum mercatoribus, qui tritici acervos venditant, exemplum (δεῖγμα, cf. Dion. Hal. II 99, 1 Us.-Rad.) pugno non habent quod ostendant, sed aliunde quaeritant. hi artis magistri tam ridiculi videntur quam esset Triptolemus semen ab aliis mutuans aut Prometheus[2]) ignem, quem donaret mortalibus, corrogans. ipsa nomina ad graecum auctorem pertinent. et graecum atque antiquum exemplar agnoscimus, cum sequente enuntiato rhetores adversarii cum eis comparantur qui ipsi sitientes fontes maximos aperuisse glorientur, qui, *cum se ipsos fontes esse dicant et omnium rigare debeant ingenia . . . arescant ipsi siccitate.* eadem imago solet

---

1) huc accedebant grammaticorum iudicia ad κρίσιν, non ad μίμησιν spectantia, quae a rhetoribus recipiebantur, v. Usener, Dionysii Hal. librorum de imitatione reliquiae, Bonnae 1889 p. 1, Stroux p. 91 ss.

2) in Senecae Contr. X 5 reus est Parrhasius, quod servum torserit et ad exemplar eius Promethea pinxerit. qua in controversia saepius Promethei igniferi in homines beneficium tangitur, § 28 Triptolemi fabula.

Homero adhiberi: Περὶ ὕψους 13, 3 ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ κείνου νάματος εἰς αὐτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος (sim. Heracliti Quaest. Homericae 18) Quint. XI 46 *hic enim (Homerus), quemadmodum ex Oceano dicit ipse omnium fluminum fontiumque cursus initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit,* cuius graecum exemplar invenitur apud Dionysium Hal. De comp. 24 p. 121 Us.-Rad.: κορυφὴ μὲν οὖν ἁπάντων καὶ σκοπός,

ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι,

δικαίως ἂν Ὅμηρος λέγοιτο. simili comparatione imitandi praecepta confirmat Dionysius De imit. fr. VI 1 p. 203, 7 ἐπὰν ζηλώσῃ τις τὸ παρ' ἑκάστῳ τῶν παλαιῶν βέλτιον εἶναι δοκοῦν καὶ καθάπερ ἐκ πολλῶν ναμάτων ἕν τι συγκομίσας ῥεῦμα τοῦτ' εἰς τὴν ψυχὴν μετοχετεύσῃ[1]). itaque haec quoque imago ad graecum exemplar ab auctore ad Herennium expressum referenda est.

Sequitur quarta comparatio: Charetem Lysippus statuas facere, non ita docuit, *ut caput ostenderet Myronium, brachia Praxitelae, pectus Polycletium,* sed ut coram Charete singula faceret; contra adversarii virtutum exempla modo in hoc, modo in illo scriptore monstrantes pravam quandam et a statuarum artificibus repudiatam imitandi rationem docent. ut hic magister ipse facere exempla, non aliena ostendere iubetur, ita Theo discipulis praecipit, ut non modo virtutes antiquorum contemplentur, sed etiam ipsi cottidie scribendo exerceantur; quo in praecepto illustrando, ut auctor artis Herennianae sculptorum, ita Theo pictorum exemplo utitur (p. 61, 1 Sp.): ἀλλ' ὥσπερ τοῖς ζωγραφεῖν βουλομένοις οὐδὲν ὄφελος κατανοεῖν τά τε Ἀπελλοῦ καὶ Πρωτογένους καὶ Ἀντιφίλου ἔργα, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ γράφειν ἐπιχειρῶσιν, οὕτω καὶ τοῖς ῥητορεύειν μέλλουσιν οὔτε τῶν πρεσβυτέρων οἱ λόγοι . . . . οὐδέν ἐστι χρήσιμον, ἐὰν μὴ καὶ αὐτὸς ἕκαστος ταῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν γραφαῖς ἐγγυμνάζηται. paulo propius ad artis Herennianae comparationem accedit Horatii artis poeticae initium, quo poeta, qui nescit unum et totum ponere, sed variandi studio ductus argumenta inter se non convenientia conserit, comparatur cum pictore, qui membra variorum animalium turpiter sibi videatur in unum corpus coniungere posse. omnino hoc scriptorum operam cum artificibus comparandi genus iam ab Aristotele institutum tralaticium est in rhetorum scholis. velut Quin-

---

1) eadem non imago sed sententia apud Dionem Chrys. or. LXVIII (XVIII) 8 Ὅμηρος δὲ καὶ πρῶτος καὶ μέσος καὶ ὕστατος παντὶ παιδὶ καὶ ἀνδρὶ καὶ γέροντι, τοσοῦτον ἀφ' αὑτοῦ διδοὺς ὅσον ἕκαστος δύναται λαβεῖν. ceterum cf. Hefermehl, Mus. Rhen. LXI 287 ss.

tilianus XII 10, 3 ss. dicendi genera cum pictoribus et statuariis comparat [1]). gravius est, quod ei rhetores qui multos scriptores imitandos proponebant, ipsi quoque ad suam rationem confirmandam artis similitudine usos esse aliunde notum est. in excerptis Dionysii de imitatione librorum imitatio antiquorum postulatur et Zeuxidis exemplo comprobatur, qui Helenam pingens Crotoniatis persuasit, ut pulcherrimas virgines nudas spectandas sibi permitterent: ὃ δ' ἦν ἄξιον παρ' ἑκάστῃ γραφῆς, ἐς μίαν ἠθροίσθη σώματος εἰκόνα κἀκ πολλῶν μερῶν συλλογῆς ἕν τι συνέθηκεν ἡ τέχνη τέλειον κάλλους εἶδος [2]). τοιγαροῦν πάρεστι καὶ σοὶ .... τὸν τῆς πολυμαθίας ἔρανον συλλέγοντι οὐκ ἐξίτηλον χρόνῳ γενησομένην εἰκόνα τυποῦν, ἀλλ' ἀθάνατον τέχνης κάλλος (p. 203, 15 ss. Us.-Rad.) [3]). eundem Dionysii locum Maximus Planudes partim accuratius excerpsisse videtur. quem locum (fr. VI a p. 214 Us.-Rad.) affero, quia hic momenta contraria similitudini in Rhetoricis Herennianis adhibitae accuratius agnoscimus, cum uterque singula membra corporis [4]) commemoret: ἀφ' ἑκάστης τὸ τῶν μελῶν μιμούμενος κάλλιστον, τῆς μὲν ὀφθαλμούς, τῆς δὲ ῥῖνα, τῆς δὲ ὀφρύας καὶ ἀπ' ἄλλης ἄλλο (οὐδὲ γὰρ ἦν ἁπάσας καλὰ φέρειν τὰ πάντα), κάλλιστον εἶδος ἀπηκριβώσατο (confert homericam Agamemnonis descriptionem B 478. 479). multo magis exornatam eandem de Zeuxide historiam lepide enarrat Cicero prolaliae loco ineunte II Rhetoricorum libro [5]). ipse autem exemplar graecum, quod rhetorem ex optimis scriptoribus exempla virtutum colligentem cum Zeuxide

1) ad Her. IV § 16 *distinctam sicuti coloribus ... orationem* v. Stroux p. 96, Cic. De or. III 26 Brutus 70 Orator 5 ff. cf. etiam Demetrium § 76. alia exempla collegit Brzoska, De canone decem oratorum Atticorum Vratislaviae 1883 p. 69 ss. 81 ss. C. Robert, Archäologische Märchen p. 47 ss.

2) κάλλους εἶδος scripsi: καλὸν. ἰδοὺ codex, [καλὸν] εἶδος cum Kiesslingio Usener.

3) subest hic φύσεως et τέχνης comparatio, de qua infra agemus. eadem in narratione eiusdem historiae apud Cic. Rhet. II 3 invenitur: *neque enim putavit omnia, quae quaereret ad venustatem, in corpore uno se reperire posse ideo, quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit* cf. Maximum Planudem (Dionysii fr. VI a) οὐδὲ γὰρ ἦν ἁπάσας καλὰ φέρειν τὰ πάντα.

4) confirmari igitur Kayseri iudicium videtur „Cornif. pro lubitu membris suum artificem attribuit"; nam in solis verbis *pectus Polycletium* aliquid consilii inesse conicias.

5) cetera testimonia collegit Brunn, Gesch. der griech. Künstler II² 54 s., qui fabulae illi plus aequo tribuere videtur. operae autem pretium faciet, qui pervolgatas has de artificum claris operibus fabulas collegerit; quae Vasarii historiunculis quibusdam similes videntur neque pertinent ad veram artis historiam (de qua nuper egit Pasquali, Hermes XLVIII 162 s.); sed quia vulgo notae erant, aptae videbantur rhetoribus, quibus eloquentiae artificia illustrarentur. — Contrarium illi de Zeuxidis fabulae et rectius de arte iudicium invenias in Ciceronis Oratoris § 9

comparabat, ita immutasse videtur, ut suam varios libros rhetoricos excerpendi rationem cum pictore conferret (II 4. 5): *quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum . . . sed omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur excerpsimus et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. ex iis enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur . . . . quodsi in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent, non tanto opere in vitiis perseverarent.* iam restitue hic pro magistro commodissime praecipiente oratorem commode scribentem (sic Rhet. ad Her. IV 7 *commode scripta commode ipse scribet* I 1 *commoditas orationis* II 14 *scriptoris commoditatem*), pro exemplis artium exempla probatorum auctorum arti inserta; confer e Dionysio excerpta p. 203, 14 οὐκ ἐπειδή περ ἦσαν ἅπασαι καλαί, ἀλλ' οὐκ εἰκὸς ἦν ὡς παντάπασιν ἦσαν αἰσχραί 214, 8 οὐδὲ γάρ ἦν ἁπάσας καλὰ φέρειν τὰ πάντα cum Ciceronis verbis *nec nihil optime nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur* et refer haec non ad rhetorem sed ad oratorem vel scriptorem: recuperabis multo aptiorem et feliciorem graeci auctoris dissertationem copiam et varietatem illam exemplorum in Rhet. Her. IV 3 probatam IV 6. 7 impugnatam commendantis, rhetores monentis ne *sese uni alicui certo vellent addicere*; quae dissertatio a Cicerone aliud spectante et comparationem ad suam technographorum libros excerpendi rationem referente in deterius mutata est.

Sequitur argumentum graeco viro satis prudente dignum, quod illustrare licet graecis exemplis: *praeterea ne possunt quidem ea quae sumuntur ab aliis exempla tam esse artem adcommodata, propterea quod in dicendo leviter unusque locus plerumque tangitur, ne ars appareat, in praecipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla, uti in artis formam convenire possint: et post in dicendo, ne possit ars eminere et ab omnibus videri, facultate oratoris occultatur. ergo etiam ut magis ars cognoscatur, suis exemplis melius est uti.* sciunt qui pueros docent, quantum distent exempla rem apte illustrantia a perfecta arte et, quod iam rhetores antiqui fecerunt, ideo immutari auctorum exempla, ut, quamvis sic depravetur genuina stili pulchritudo, magis emineat res, cui illustrandae exemplum inservit. acutissime igitur opponitur rhetorica ratio artis ostentandae, ora-

---

(similes locos adferunt Jahn-Kroll), ubi negatur Phidias ex hominum similitudine Iovem aut Minervam finxisse.

toria occultandae. at haec omnia graeca sunt: Περὶ ὕψους 22, 1 τότε γὰρ ἡ τέχνη τέλειος ἡνίκ' ἂν φύσις εἶναι δοκῇ, ἡ δ' αὖ φύσις ἐπιτυχής, ὅταν λανθάνουσαν περιέχῃ τὴν τέχνην[1]), 17, 1 ἀγανακτεῖ γὰρ εὐθύς (auditor), εἰ ὡς παῖς ἄφρων ὑπὸ τεχνίτου ῥήτορος σχηματίοις κατασοφίζεται ... διόπερ καὶ τότε ἄριστον δοκεῖ τὸ σχῆμα, ὅταν αὐτὸ τοῦτο διαλανθάνῃ ὅτι σχῆμά ἐστιν (sim. 38, 3) 17, 2 τίνι γὰρ ἐνταῦθ' ὁ ῥήτωρ ἀπέκρυψε τὸ σχῆμα 17, 3 τὴν τέχνην αὐτῶν ἀποσκιάζει καὶ οἷον ἐν κατακαλύψει τηρεῖ Hermogenes p. 172, 14 R de Demosthene: δεινὸς γὰρ ἀεὶ σοφίσασθαι τὰς τέχνας καὶ ἀποκρύπτειν ὁ ῥήτωρ Cic. De or. II 177 *tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat qui audiat* (cf. 156), Ps.-Dionysii Ars VIII 16 p. 322, 6 λοιπὸς δὲ ἡμῖν ἐστι λόγος, τοῦ λανθάνειν ἡ τέχνη[2]). — praeivit autem viam Aristoteles Rhet. III 2 p. 1404b 18 διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως· τοῦτο δὲ πιθανόν, ἐκεῖνο δὲ τοὐναντίον[3]). iam vide quantopere a verisimilitudine aberraverit in Teubneriana editione Rhetoricae Herennianae Guilelmus Friedrich, qui illa ipsa verba *et post in dicendo, ne possit ars eminere et ab omnibus videri, facultate oratoris occultatur,* quorum verborum persimilia exemplaria graeca adsunt, uncis inclusit ut spuria.

Postremum argumentum solum non ex graeco fonte fluxit, sed ab auctore latino additum est: ipsam artem non satis iucundam lectu esse dicit, quia nomina artis in latinam linguam versa asperiora videantur. quod damnum compensari ab eo scriptore, qui sua exempla gignendo quid facultate dicendi valeat demonstret. hoc argumentum, ut inveniri non poterat nisi a latino illo doctore, ita ineptum ingenium eius prodit. concluditur autem tota disputatio his verbis: *his de causis, cum artis inventionem Graecorum probassemus, exemplorum rationem secuti non sumus.*

Respondeantne huic praecepto aliena exempla repudiandi, propria gignendi ipsa exempla in arte Herenniana tradita, sagaciter investigavit Marxius p. 114 ss. 102 ss. revera doctor latinus

1) Quint. IX 4, 3 ss. comparat Mutschmann, Tendenz, Aufbau und Quellen der Schrift vom Erhabenen Berlin 1913 p. 103 s. φύσις et τέχνη vario modo opponuntur ad Her. III 28 s. 36, Περὶ ὕψους 2, 1. 2. 3. 36, 4 (qui locus recte comparatur cum Horatii A. P. 408 ss.), Demetrius Περὶ ἑρμηνείας 87, Philodemus Rhet. II 93 Sudh., Dionysius vol. I 114, 11 Us.-Rad. Quint. II 17, 9. plura collegit P. Otto p. 57 ss.

2) cf. etiam locos quos collegerunt P. Otto l. c. p. 56 s., Jahn-Kroll ad Ciceronis Oratorem 38, Brutum 139, et ad Her. I 17, ubi monetur, ne enumeratio plus tres partes habeat, pergitur: *nam .... suspicionem adfert auditori meditationis et artificii, quae res fidem abrogat orationi,* cf. etiam II 47 IV 32.

3) similes quosdam locos adfert Cl. Peters, De rationibus inter artem rhetoricam IV et I saeculi intercedentibus, Diss. Kiloniensis 1907 p. 66.

ut in praeceptis, ita etiam in exemplis pendet plerumque a Graecis. quos cum acerrimo odio insectetur, nomina eorum silentio premit; exempla autem graeca ad verbum compilantem vel paraphrastice pauca immutantem latine vertere, hoc ei est sua exempla procreare [1]. exempla aliena proferre in vitiis illustrandis non veretur

---

1) eis quae Marxius p. 114 et in adnotationibus comparavit graecis exemplis nonnulla addam: ad Her. IV 24 *optima vivendi ratio est eligenda; eam iucundam consuetudo reddet,* Ioannes Stobaeus III 1, 29 p. 14, 1 H. Πυθαγόρας ἔφη ὅτι χρὴ βίον αἱρεῖσθαι τὸν ἄριστον· ἡδὺν γὰρ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει sim. 29, 99 p. 659, 12 Plut. De exilio p. 602 B τὸ γὰρ καλὸν ἐκεῖνο παράγγελμα τῶν Πυθαγορείων „ἑλοῦ βίον ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει“. plura testimonia collegerunt ad Stobaeum Hensius, ad Plutarchi praecepta sanitatis tuendae p. 123 C Wyttenbachius. — huic dicto Pythgoreo antecedunt duo enuntiata ad Stoicorum paradoxa pertinentia; prioris similia inveniuntur e. gr. in Ciceronis Paradoxis § 36, in Philonis libro Quod omnis probus probus sit § 22 Cohn (cuius editio hoc anno edetur, cf. eius testimonia et Hensium, Mus. Rhen. XLVIII 233), alterius apud Cic. l. s. § 42. 43 Teletem p. 35, 9 ss. — excipitur dictum illud Pythagoreum stoico decreto, quo virtus sola in nostra potestate esse, cetera fortunae subiecta esse dicuntur (cf. etiam § 27), et in fine § 24 verbis *sapienter cogitant qui temporibus secundis casus adversos reformidant* suadetur praemeditatio illa malorum, quam etiam a posterioribus Stoicis decantatam Posidonius Anaxagorae constantia exemplo usus commendabat (v. Galen. de placitis Hipp. IV 7 p. 392 s. Müller = Dielsii Antesocr. I² p. 382, Cic. Tusc. III 29 Plut. Consolatio ad Apollonium p. 112 D; Wilamowitz, Herakles I¹ p. 25). — ad Her. § 29 quod legimus *dilegere oportet quem velis diligere* (cf. § 47 *homines idoneos dilegere et probare*) Theophrasteum est, puerilis verborum lusus gratia in artius contractum: Ioannes Stob. IV 27, 14 p. 659, 7 Θεόφραστός φησιν ὅτι . . . . οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν Rutilius Lupus I 6 p. 6, 1 Halm: *item Theophrastus dicitur dixisse prudentis esse officium amicitiam probatam appetere, non appetitam probare.* iam cum Rutilius Lupus graecum Gorgiae iunioris librum expresserit, efficitur hoc dictum tralaticium esse in rhetorum scholis; quod mirum non est, cum celeberrimam hanc sententiam demonstratur fuisse copia testimoniorum quae collegerunt Gustavus Heylbut, De Theophrasti libris περὶ φιλίας (diss. Bonnensis 1876) p. 23 et Davidus Ruhuken Rutilii editor; utriusque doctrinam artis Herennianae exemplum fugit. — ad Her. 37 *formae dignitas aut morbo deflorescit aut vetustate exstinguitur,* cf. [Isocratem] in Demoniceae § 6 κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνήλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανεν, quo de loco in libro de Anaximene scripto p. 93 egi; saepe eum imitatione expressum esse testimonia Drerupii ostendunt. ut rhetor latinus ita Georgides collocat ἢ νόσος ἐμάρανεν ἢ χρόνος ἀνάλωσεν. — IV 43 ubi denominationis exemplum adfert *cum desidiosam artem dicimus quia desidiosos facit* et similiter II 35 *philosophia vitanda est, adfert enim socordiam atque desidiam,* opprobrium illud agnoscimus vitae musicae vel philosophiae deditae, quod Euripideae Antiopae coloribus (v. fr. 184 N. μοῦσαν . . . . ἀργόν, φίλοινον, χρημάτων ἀτημελῆ) distinctum et in Platonis Gorgia et ab aliis pingitur. atque hanc memoriam hic subesse eo verisimilius est, quod II 43 idem Zethi et Amphionis in Pacuvii Antiopa certamen commemoratur (cf. Cic. Rhet. I 94). — II 34 *duae res sunt, indices, quae omnes ad maleficium impellunt, luxuries et avaritia.* similia memini me

neque id dissimulat (IV 18 *nihil prohibet in vitiis alienis exemplis uti*); velut in vitiorum doctrina celato poetae nomine versus adfert I 14, II 38. 39. 40. 42, IV 18 ter vel quater (cf. Marx p. 118). Ennii et nomen et versus II 34, item Plauti et Pacuvii (II 35. 36. 43), Caelii locum ipso Caelio nominato (IV 18), Curionis subtracto eius nomine II 33. omnia autem exempla, quae auctoribus nominatis adfert, pertinent ad illam de vitiosa argumentatione commentationem (II 31—46), quam ex vetustiore rhetore latino desumptam esse Marxius, qui omnino accuratissime de singulis exemplis egit, probavit p. 126 ss., excepto uno Caelii loco IV 18 *in priore libro has res ad te scriptas, Luci, misimus,*

---

saepuis legisse, praesto sunt loci Isocratis XV 217, ubi postquam quaesivit quibus causis commoti homines iniuriam facere audeant, respondet: ἐγὼ μὲν οὖν ἡδονῆς ἢ κέρδους ἢ τιμῆς ἕνεκα φημὶ πάντας πάντα πράττειν. apud rhetorem latinum deest τιμή, sed paulo post ostendens nonnulla desiderari in hac enumeratione, et alia et ambitionem addit. audacius idem Isocrates XXI 6 δῆλον χὰρ ὅτι πάντες κέρδους ἕνεκ' ἀδικοῦσιν. — postremum transeo ad exemplum multum et in rhetorum scholis et in diatribis philosophis tractatum. modo Bion modo alii τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν τῶν κακῶν dixisse feruntur; v. testimonia quae ad Ioannem Stobaeum III 10, 37 p. 417 et in Teletis editione altera p. LII Hensius collegit; dictum Bioneum ne a rhetorum quidem disciplina alienum fuisse, probat Theo p. 99, 18 et 105, 7 Sp. id commemorans, altero loco ita ut vituperet: ἐκ δὲ τοῦ ψευδοῦς (redarguitur chria), ὅτι μὴ ἀληθῶς ὁ Βίων ἔλεγε τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν εἶναι τῆς κακίας· μᾶλλον γὰρ ἀφροσύνη ἐστίν. iam compara ad Her. II 34: *omnium malorum stultitia est mater atque materies* (hic est ineptus ille verborum lusus, quem sectari solet doctor latinus, in graeco exemplari invenit vocem μητρόπολις). *ea parit inmensas cupiditates. inmensae porro cupiditates infinitae, inmoderatae sunt. haec pariunt avaritiam. avaritia porro hominem ad quodvis facinus impellit. ergo avaritia inducti adversarii nostri hoc in se facinus admiserunt.* paulo post II 37 similis de avaritia sententia legitur stultitia omissa. quid igitur? rhetor quidam sive graecus sive latinus ibidem legebat et Bionis dictum et vituperationem nobis per Theonem notam iudicantis pro avaritia ponendam fuisse stultitiam; iam hoc vitiosae expositionis longius repetitae exemplum sibi finxit. ceterum hoc de divitiis et avaritia dictum auctor Περὶ ὕψους 44, 7 Plutarchus in Agide c. 3 Lucianus in Timone c. 28 fusius ita explicaverunt, ut antiquius exemplar agnoscere mihi videar, cuius ceteri testes nil nobis nisi titulum ἡ φιλαργυρία μητρόπολις τῶν κακῶν explicationis indigentem servaverunt. — ad Her. IV 57 sententia *sapiens nullum pro republica periculum vitabit* accuratius explicatur. similes Ciceronis locos pro Sestio 47. 48 (ubi Decii quoque exemplum profertur et § 46 similis navis cum republica comparatio legitur) Phil. XIV 31. 32 Kayserus comparat, Phil. X 20 Marx addidit. tantopere autem Ciceronis loci cum rhetorica Herenniana consentiunt, ut commune loci exemplar divinare liceat. postremus autem Ciceronis locus a Brinkmanno (Mus. Rhen. LXIII 622) adnumeratur paraphrasibus versuum Homeri clarissimorum M 322 ss. quibus cum paraphrasibus etiam rhetor latinus aliquid commune habet; cf. imprimis p. 358, 2—4 M. cum anonymo Iamblichi (Diels Vorsokr. II[3] p. 332, 2—4 = Brinkmann p. 621).

Aeli, cui loco auctoris Caelii nomen praemitti propter amici adlocutionem necesse erat. in hac igitur consuetudine auctores tacendi consentaneum est multo plura latere exempla cum latina tum graeca, ab auctore compilata, quam adhuc demonstrare licebat.

Iam vero patet doctorem eius adulescentuli, qui ad dictata magistri scholastica haec commentaria conscripsit, ut arti graecae quam exprimit aliunde inseruit illam de vitiosa argumentatione partem, ita commentationem illam de recta exemplorum ratione alii auctori, non technographo quem exprimit debere. graecus enim ille rhetor, qui de ratione exemplorum disputavit, antiquum illum usum et sophisticum et Anaximeneum exempla gignendi retinebat et commendabat, neque dubium est quin fuerint hellenistica aetate, qui hoc in genere inveniendi aliquid praestarent[1]. contra doctor latinus, cum artem graecam, in qua aliena exempla ponebantur, latine verteret et ad hanc accommodare vellet alius auctoris contraria de exemplis praecepta novandi studio ductus, necessario in summas difficultates incurrit, unde nata est illa omissis nominibus simulandi et peculandi (Marx p. 115) ratio.

Multo maioris momenti ad historiam artis rhetoricae cognoscendam est altera illa ratio aliena exempla commendans, quae in arte nostra impugnatur. studia imitandi tum floruisse e § 2 (v. p. 11) discimus. neque dubium est, quin antiqui etiam hellenistica aetate aliquid valuerint, valuerit etiam eorum, si non Atticistarum in modum μίμησις, at ζῆλος[2]. et illa ipsa *auctoritas antiquorum* praedicatur § 2[3]) cf. 7. inter imitanda autem exempla ponuntur oratores et poetae § 1. 2 (ubi etiam Ennius et Graccus componuntur) § 7. 8, vel orationes et poemata § 3 bis 7; § 4 *antiquum oratorem aut poetam laudant aut scripturam;* § 7 oratoribus et poetis adduntur historiarum scriptores. et hi scriptores probati nominantur § 1. 2 *(probatissimo, a probatissimis oratoribus aut poetis)* 5. unde poetica exempla originem duxerint supra vidimus. ipse auctor,

1) ne inter metricos quidem deerant, qui scholastica metrorum exempla fingerent; quod demonstraverunt Fr. Leo, Hermes XXIV 287 ss., Abh. Gött. Ges. N. F. VIII 5 p. 7 ss.; G. Wissowa, Genethliacon, Berolini 1910 p. 59 ss. — ceterum mos ille nomina auctorum interdum praetereundi neque a rhetoribus neque a metricis alienus est (Leo, Hermes l. c. p. 287 s., Gött. Nachr. 1899 p. 504). velut interdum Aristoteles, Demetrius Περὶ ἑρμηνείας nomina omittit.

2) Wilamowitz, Hermes XXXV, 29 ff.

3) § 4 legendum cum d videtur: *auctoritate* (i. e. antiquorum technographorum) *commovent,* non *auctoritate sua commovent* (sic b l Marx, desunt verba in M). *auctoritate vana* Friedrich prave, neque enim auctor imitationem omnino improbat.

ubi, si aliunde sumerentur exempla, ab uno sumi debere exponit (§ 7), unum *vel poetam vel oratorem* eligendum esse dicit, et § 43 poetarum et oratorum consuetudinem commemorat, § 44 in verborum traiectione poeticum quendam numerum commendat. quae poetarum in rhetorum scholis auctoritas antiquitus tradita mira non est, quoniam scimus Homericam quandam rhetoricam iam multo ante Telephi opus Schraderi opera bene recuperatum excultam esse; quam vergente imperio Romano, Vergiliana rhetorica quaedam excepit.

Ceterum ex hac consuetudine oratores et poetas iuxta ponendi aliquid lucis adfertur Demosthenis laudationi Lucianeae de qua qui nuper optime egit[1]), non totam materiem exhausit; itaque paululum exspatianti mihi liceat nonnulla addere. recte Albers exposuit in priore parte Thersagoram poetam, qui modo in Homeri honorem carmen composuerat, rhetori cuidam Demosthenis laudationem meditanti primum ostendere, cur Homeri laudatio multo difficilius negotium sit quam Demosthenis, mox colloquentem ad ipsam laudationem Demosthenis transire singulas laudes secundum rhetorum praecepta enumerantem. σύγκρισις autem Homeri et Demosthenis, unde Thersagoras proficitur, explicatur ex tradita illa oratorum et poetarum adfinitate, quae eo artius conectebatur, quo magis inde ab Augustea aetate Ovidio imprimis auctore tota poesis oratorium opus habebatur et ad artis rhetoricae normas carmina latina referebantur. et huic summi oratoris et summi poetae συγκρίσει cognata est illa in priore dialogi Tacitei parte poesis et facundiae vel, ut Taciti verbis utar, oratoriae et sanctioris poetarum eloquentiae collatio, in qua c. 12 cum alii oratores et poetae tum Homerus et Demosthenes comparantur.

In altera Demosthenis encomii parte rhetor ille, postquam patienter poetae amici carmen ad Homeri laudem pertinens audivit, mercedis loco a Thersagora accipit vetusta Macedonica commentaria (§ 26 Μακεδονικοῖς τῆς βασιλικῆς οἰκίας ὑπομνήμασιν[2]), quae eis, quibus antea colloquium illud cum Thersagora habitum enarravit, recitat ἐπ' αὐτῶν ⟨τῶν⟩ ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων. continetur autem his commentariis colloquium Antipatri et Archiae modo Calauria reversi et de Demosthenis morte referentis. instituitur autem ita hoc colloquium, ut Antipater et Archias hostes Demosthenis magnani-

---

1) Luciani quae fertur Demosthenis laudatio, rec. et ill. Albers, Lipsiae 1910.

2) de hoc genere ephemeridum subtiliter disputavit U. Wilcken Phil. LIII p. 102 ss.

mitatem probent, Antipater Philippum regem et Aristotelem de oratoris virtute[1]) testantes inducat. omnia igitur ad Demosthenis laudem pertinent. priscus ille liber cur fingatur, patet. hoc teste rhetor auctoritatem narrationis suae augere et omnes de veritate eius dubitationes tollere vult. ideo etiam § 44 fingit Archiam narrantem se notarios ad servandam memoriam sui cum Demosthene colloquii adhibuisse. iam quaeritur utrum ipsius auctoris inventum ficticii illi commentarii sint an aliunde hoc commentum sumpserit. Albers p. 38 conicit mentionem Plutarcheam (Dem. c. 5) Demosthenis commentariorum qui sine auctoris nomine ferebantur[2]) ansam dedisse ad fingendos illos commentarios. at quid tandem commentariis scholasticis anonymis commune cum commentariis aulicis? immo pertinet hoc commentum Lucianeum ad hellenisticam illam consuetudinem ad libros vel tabulas ficticias provocandi inde ab Euhemeri sacra historia valde pervagatam, e Dictyos et Daretis libris omnibus notam. unum exemplum adferam, quod in commentatione mea Gottingensi de fabellis a. 1911 scripta accuratius tractavi, Phlegontis illam historiam Goethio per Praetorium[3]) notam. quae pulcherrima fabella in epistularem formam non sine damno ita redacta est, ut praefectus urbis Hipparchus Arridaeo, Arridaeus Philippo regi epistulis referant. hanc igitur fabellam a me in pristinam pulchritudinem restitutam falsarius quidam ea mente deformavit, ut litteris publicis Macedonum nobilium quam maximam miraculo fidem adderet. eadem fingendi ratione auctor encomii Demosthenis usus est.

Haec ideo corollarii loco amplius tractavi, quia ex hoc encomio etiam illustrari videntur duorum dialogorum frustula ex papyris Friburgensibus saeculi II p. Chr. n. nuper recuperata[4]); quorum in priore de divinitate Alexandri disputantes inducuntur Antipater, Mnesippus, Callistratus, in altero, cuius de argumento iudicare non ausim, Antipater et Cassander. doctrinam autem editoris, qui quidquid ad intellegendum hoc dialogorum genus pertinere ei videbatur collegit, fugit hoc ipsum encomium Demosthenis,

---

1) § 40 Aristoteles de Demosthene discipulo suo insigne iudicium fert, et § 12 non modo Aristotelis, sed etiam Theophrasti, Xenocratis, Platonis scholas audientem facit Demosthenem imperitus auctor. de Aristotele praeceptore ineptam Peripatetici coniecturam refutavit Dionysius ad Ammaeum Ep. I, de Platone non minus futiles opiniones v. apud Schäferum I² 311 s.

2) Diels, Berliner Klassikertexte I p. XL.

3) hoc didici ex Leitzmanni libello Die Quellen von Schillers und Goethes Balladen (Kleine Texte 73) Bonn 1911 p. 33.

4) Sitzungsberichte der Heidelberger Akademie 1914 II 25 ss.

cuius altera pars mihi arta familiaritate cum papyraceis libellis cognata esse videtur. nam utroque loco habemus ficta colloquia, quibus Macedones intersunt, ut apud Phlegontem fictas Macedonum litteras. itaque equidem censeo colloquia Friburgensia a rhetore alterius saeculi inventa esse, et Kaerstio[1]) potius adsentiar nullam eis fidem tribuenti quam editori W. Aly eo inclinanti ut aliquid memoriae historicae subesse opinetur.

---

2) l. c. p. 38[1].